In Hippocratis elementa Iacobi Syluii medici commentarius.

Contributors

Dubois, Jacques, 1478-1555.

Publication/Creation

Venetiis : Ex officina Erasmiana apud Vincentium Vaugris prope horologium diui Marci, M. D. XLIII. [1543]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/z9f7z6zf

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

EPB/A 7464 /A

R-.5-9

n 4 .3

IN HIPPO-
CRATIS ELEMENTA IACO-
BI SYLVII MEDICI
COMMENTARIVS

*

VENETIIS
Ex officina ERASMIANA apud Vincentium
Vaugris prope horologium Diui Marci.
M. D. XLIII.

Dr. Pietro Lorenzi



IOANNI MORINO CRIMINVM Censori apud Parisios æquissimo, Iacobus Syluius Medicus. S. D. P.

SI homines, hominum causa, generatos esse uerum est: (quod est præclarè à Stoicis dictum) ut homo scilicet hominem adiuuet, qui de communi hominum societate plenius in dies, ac etiam in horas, commeretur, iure optimo is, in uniuersi generis humani communitate, maximus simul, & optimus est habendus. Quæ causa etiam unica, maioribus nostris, deos tàm multos peperit, Isidem, Osirim, Palladem, Neptunum, Herculem, & alios propè innumerabiles, commoda quædam maxima in communem hominum utilitatem, largitos. Nisi enim Hercules (ut cæteros omittam) Cacum latronem illum maximè insignem de uita sustulisset, nisi idem Hydram, Lernæ paludis beluam septemplicem extinxisset: hisq; & alijs quamplurimis regionum multarum monstris à se domitis, de hominibus, tanquam deus aliquis terrenus, fuisset benè meritus, nunquam ab his deorum immortalium numero, post mortem, fuisset adscriptus. Sed quid præclara Herculis facinora, nobis tantum audita, commemoro? Nonne tu tanquam Hercules quidam Gallicus, non Cacum tantum, sed Cacos innumerabiles atque adeò κακίστους latrones, raptores, sicarios, homicidas, & reliquos homines facinorosos, reipublicæ pernitiosos, communemq;

hominum societatem omni uitiorum genere contami=
nantes, sic de medio tollis, ut iam sine iniuria in pace
uiuatur? Nónne præter eam utilitatem publicam, ur=
bem quoque istam longè amplissimam annis antè te
multis non furibus solis, sed etiam superstitiosis co=
lorum contentionibus, contentiosis prætorum schola=
sticorum comitijs, litibus beneficiarijs, ut hydra illa
rediuiuis, & immortalibus infamatam, tanto studio
ab his facinoribus indignissimis uindicasti, ut musis li
terarum bonarum otio planè liberrimo frui nunc li=
ceat? Tu enim ciues bonos, laude merita cumulas: tu
in noxios, ut sunt commeriti, animaduertis: facisq;
hac iustitiæ parte, ne cui quis noceat, etiam lacessitus
iniuria. his uirtutibus ciuitatem nostram conseruas,
adiuuas, auges: sic, ut te ciuitatis nostræ salus hodie
nitatur maximè. qui uirtutis tuæ splendor est maxi=
mus, quum deo optimo maximo in terris uix quic=
quam fiat acceptius, quàm concilia, cætusq; homi=
num iure sociatos (quæ ciuitates appellantur) conser=
uare, adiuuare, augere: ob idq; ciuitatum rectoribus,
& conseruatoribus, certum in cælo ac definitum con=
stituit locum, ubi cum ex corporum uinculis tanquam
è carcere euolarint, beati, æuo sempiterno uisione
diuina fruantur. Quæ autem causa me commouit, ut
amplitudini tuæ, commentarium hunc medicum dedi=
carem, fuit, præter fauorem summum, quo me, ut cæ=
teros literarum puriorum studiosos, unicè prosequeq=
ris, maxima studiorum similitudo: quæ tibi criminum
censori

censori æquißimo est cum medico. Huius enim prius est officium, ut inculpatam sanitatem similibus conseruet: tu mores probos modis omnibus foues, atque adiuuas. Alterum medici munus est morbos profligare, idq; remedijs malo contrarijs. Tu ex nostra republica uitij genus omne, summa cura, industria, prouidentia, amoliris. Medicus extremis morbis, extrema exquisitè remedia statim adhibet, mitioribus primùm clementiora: deinde, si opus est, ualentiora. Tu leuiora quædam peccata, nunc publica solùm infamia, nunc uirgis, nunc succisa auricula coerces: in grauiora etiam laqueo, uel decollatione, uel rota, uel oleo feruente, uel flamma ipsa animaduertis, ne quid postea tale ipsi committant, &, ut cæteri horum exemplo sint ad peccandum tardiores: quomodo cancros, cancrenas, sphacelos, & eius generis affectus immedicabiles, ferro sæpe, et cauterio, medici celebres, cum parte affecta, execant, et proijciunt, ne pars sincera trahatur in uicium. In summa, medicus actiones per sanitatem integras, modis omnibus molitur, ut nulla corporis, aut animi molestia, diu uiuatur: Tu actiones per uirtutem Christianas deo concilias. Vale, & quod amplitudini tuæ munusculum offerimus, grata manu accipe.

In Hippocratis ele

MENTA IACOBI SYLVII MEDICI COMMENTARIVS.

ECTA rationalis, & dogmatica, eadémque uerè methodica(cui tãquam omnium optimæ ipsi nos addiximus) nobis imperat corporis curandi naturam omnino noscendam, idque ordine maximè duplici, resolutorio, & contrario illi compositorio. Proinde corpus humanum nobis, in partes primùm maximas, deinde alias omnes, diuidendum, quoad sensu minimas attigerimus. Maximè uerò totius partes sunt, caput, thorax, uẽter, artus, capitis partes, oculi, aures, facies, ac reliquę intra cranium, & extra particulæ. Oculi partes, humores tres, tunicæ quatuor, quæ, ut aliorum similiter diuisorum ultimæ partes, sunt similares, & simplicisimæ, & in alias hominis partes non amplius diuiduæ: ob id elementa hominis sensibilia dicuntur, cùm tamen uerè elementa nõ sint. Nam, quæ albæ sunt partes in nobis, ex sperm ate prodierunt, rubræ uerò, ex sanguine materno sunt conformatæ. Sperma autem tam uiri, quàm mulieris, & sanguis maternus nostræ generationis principia, illud sicut forma, hic tanquam materia, ambo ex elementis quatuor cõflata, sed interuentu humorum quatuor sanguinem constituentium. Hi autem sunt, sanguis sincerus, pituita, bilis flaua, & succus

Gal. initio sanit. tuendæ.

cus melancholicus. Elementa uerò in alia elementa non amplius diuidi possunt: sed physicè in materiam tantùm, & formam, prima & simplicissima naturæ principia ex philosophia naturali cognita, uti & elementa. Hæc tamen, quatenus ad medicum spectant, paucis explicanda nobis sunt, ut corporis naturam, ordine etiam cōpositorio doceamus. In quo prima sunt quæ resoluendo fuerunt postrema, ut contrà, quæ in componendo sunt postrema, resoluendo prima spectantur: ut domum cum demolimur, tectum primum, post parietes diruimus, postremum fundamentum eruimus: si uerò ædes molimur, fundamēta iacimus prima, mox illis parietes instruimus, postremò tectum superdamus.

Gal. lib. de elementis.

Porrò elementum est pars minima rei, quā constituit, propriè quidē ac simpliciter, ignis, aër, aqua, terra, philosophiæ naturalis materia: Abusiuè autem loquentibus, medicis quidem elementa in homine sunt etiam humores quatuor, & partes similares, eędémque simplices sensu. Vnde elementares quoque appellatę. grāmaticis uerò literæ, & alijs alię res quiduis primæ constituentes, seu diuidendo ultimæ, & minimæ. Quæ uerba, uti & Galeni diffinitio, ordinem istum duplicem innuunt: nam minima pars, & quæ diuidendo ultima est, resolutorium, Aristoteli quoque expressum lib. 3. de cælo cap. 3. diffinienti, elementum esse corpus, in quod reliqua corpora diuiduntur. Compositorium uerò, cuius est elementum, seu quod reliqua cōstituit: quod Aristoteles planius. 5. metaphysicorum expressit: elementum est corpus simplex, ex quo aliquid componitur, &c. Ex

quibus

quibus Aristotelis diffinitionibus suã Galenus contexuisse uidetur, & particulam corpus intellexisse, ut materiam, & formam corporũ simplicium, seu elementorum, & mistorum principia, ab elementis separet. Vtrunque autem ex his est, quæ ad aliud referuntur: pars enim, totius est alicuius, & elemẽtum misti est principiũ. Ignis igitur, aër, aqua, terra, quatuor sunt elemẽta rerum omnium hic generabiliũ, & corruptibilium communia: quem numerum ab Hippocrate, si Galeno credimus, institutum, à Platone, Aristotele, Galeno, cæteris confirmatum, tanquã certissimum recipimus, ne nobis, plura uno esse, & quot sint, uerbosius sit probandum.

Qualia autem in se sint hæc singula, quidque horum quoduis in congressu, & mistorum ex ipsis natura, aut agat, aut patiatur, dicamus, à nominis ratione, & diffinitione exorsi. Elemento cuique nomen est unum ab ipsa rei substãtia, & natura impositum, ignis, aër, aqua, terra alterũ à uincente, & summa in singulis qualitate, calidum ignis, humidum aër, frigidum aqua, siccũ terra: quanquam & humidũ aqua Aristoteli in Meteorologicis, & Galeno in natura humana, & simplicibus interdum dicantur, alia tamẽ ratione, ut post explicabimus.

Res quęuis noscitur nominis ratione & diffinitione.

Initio sanituendæ.

Elemẽtum diffinitio, ut aliarum rerum est difficilis, ob id, quòd uerarũ, & essentialium differentiarũ inopes sumus maximè, & quòd elementis nihil est prius per quod diffiniãtur. Ad hæc elementum corpus est simplex, nec habet unde constituatur. Diffinitio autem essentialis ex his, quæ rem constituunt, informanda est. Ideoque, quod fieri oportet,

ubi

ubi differentiæ eſſentiales deſunt, proprietatibus formam rei conſequentibus, aut eidem cõnexis res deſcribenda eſt. Proprietates autem optimè cõſtituuntur ex perfectiſsima cuiuſque actione: ſuntque hæ differentijs eſſentialibus proximæ, & ad exprimendam, quantum datur, rei naturam accommodę. Perfectiſsima autem cuiuſque elementi actio, à qualitate primain ipſo ſumma, proficiſcitur.

Eſt igitur ignis elementum, quod omnium maximè calefacit, & omnium maximè aër humectat, & aqua refrigerat, terra ſiccat, ut ſingulis elemẽtis ſingulæ primarum qualitatum ſummæ inſint: ſed aliæ quoque ex his, non tamen ſummæ, at retuſę, ut igni ſiccitas, aëri caliditas, aquæ humiditas, & terræ frigiditas, ineſt, moderata tamen.

Singulis præterea elementis, aliæ inſunt qualitates ex primis illis tactilibus, plurimùm corporeis, omnium potentiſsimis productæ: uirium quidem, quàm primæ, multò inferiorum, ſed tamen eximiarum, tenuitas, raritas, leuitas, ſplendor, perſpicuitas: & his contrariæ, craſsities, denſitas, grauitas, obſcuritas, opacitas.

Quæ qualitates in ſingulis elementis, quã facultatẽ habeant ad generandũ, aut corrũpendum, qui ignorat, de elementis infra modum philoſophatur.

Quãdoquidem, ut in ſingulis noſtri corporis inſtrumentis, & alijs omnibus aliquid agentibus, una eſt pars primaria actionis cauſa effectrix, aliæ adſunt, per quas melior fit ea actio, quædam, ſine quibus non fieret eiuſmodi actio, aliæ denique per quas prædictæ omnes conſeruantur: ſic in elemẽtis ipſis

qualitas

qualitas una inest, summa scilicet, actionis elementi præcipuè, causa effectrix præcipua: quæ uerò illi sociata est qualitas, non summa meliorem reddit actionem: qualitates reliquæ ex primis ortæ, partim ea sunt facultate, per quam actio talis melior perficiatur; partim qualitates illas omnes conseruent. Causa autem, sine qua non fit actio, extra ipsa est posita, ut post audies. Non autem qualitas secunda sustinet rationem eius, sine quo non fiat actio, ut quibusdã placet. Nam aqua feruens urit, ignis modò, tamen ea quantumuis calfacta semper humidissima est Galeno, ut post audies. terra quoque calfacta siccat etiam magis quàm frigida, ergo neque ignis siccitas, neque aquæ & terræ frigiditas, si humidissima est aqua, ea sunt, sine quibus actio non fiat. Quæ quatuor cum in singulis elementis fuero paucis persequutus, finem scribẽdi faciam. Ignis elementum est (ut dixi) omnium maximè calefaciens, qua ui summè calorifica, omnium ualentissimè homogenea, & quæ unius sunt naturæ in unũ cogit, congregatque. Heterogenea uerò, & quæ naturæ sunt dissimilis, à se inuicem omnium potentissimè separat, singula tamen horum, in suam uelut familiam. Quę perfectissima ignis est actio, eaque à qualitate in ipso summa, quæ est caliditas, profecta est. Sic enim rectè Aristoteles calidum, seu calefaciens diffiniuit. Hoc autem opus, cum calidorum reliquorum, tũ maximè ignis esse, tibi apertè cõmonstrant fulminis, & ignis huius inferni effecta: nam si domus icta fulmine, uel occasione alia incendio flagret, terreum in carbonem, ac inde in cinerem abire cernes: aqueum tenuari, &, si

Lib. 4, Meteor. ca. 1.

multum

multum eſt per extrema exudare(ut in titione uiridi incenſo quotidie uides) ſin paucum, in uaporem, & aerem, flammæ alimẽtum, tranſit aër poris lignorum clauſus, & inanitatibus calamorum(quibus tecta domus fortè fuerit.) flammę etiam pabulum eſt. tenuatus enim magis, fit ignis, à quo prædictorum portio plurima in fumum, & uaporem craſſum ſoluta, deinde ui caloris ſeparatur, & craſsiore ſua parte fuligo efficitur, tenuiore aër. Idem teſtatur in lacte coagulum, ſed apertè minus, ob id quod etiam imbecillius multo calet, quàm ignis. Coagulũ enim lacti uaccino, uel alij parum calenti immiſtum, calore per lactis in uentriculo primo animalium lactentium corruptionẽ acquiſito, ſed haud ita uehementi, craſſas lactis uaccini, uel alterius, partes, ac terreas, in caſeum cogit, &, ſi quæ ſunt, butyroſas ac aëreas, neutras tamen omnes, cum in ſero caſeoſum quoque aliquid ſuperſit, & fortè butyroſum, quod ipſo percocto apparet, in caſeumque ſecundarium à quibuſdam cogitur.

Idem argumentum in butyri ſecretione eſt. Nã calore cùm externo, tũ præcipuè interno, quẽ multus baculi in imo lati & pertuſi percuſſus excitat, butyrum à ſero butyri in hac lactis parte ſeparatur. Idémque in mille alijs liquidò apparet, ne in re perſpicua teſtibus utar parum neceſſarijs. Ignis igitur ſuo calore ſummo homogenea cogit, heterogenea diſsipat. Quæ tamen qualitas, ut aliarum quæuis, ſi ſola agat, aut multo etiam inſignius alijs, agat in generationis ſubiectum, nunquam fiat generatio, ut per uteros calidiores, frigidiores, humidiores, ſicciores

ciores apertè declarauit in aphorismis Hippocrates: sed mutuò seipsę inuicē contrariæ inter agendū, tandem ut res ipsa existat & perstet, contemperant in corporum substantia, quæ tota permutationi, & affectioni, alterationíque subiecta est. Calor igitur iste, sed iam diuinus, & rerum generator fœcūdissimus in semine sopitus, nutritione auctior & ualētior ubi euasit, quæ in semine ipso est portio cerebri in cerebrū separat, & in pulmonem, cor, hepar, uentriculum, partesque alias, quæ pulmonis, quę cordis, quę hepatis, quæ uentriculi, quæ reliquarū quoque partiū in eo est portio. Est enim semē Aristoteli, & post eum Galeno, excrementū benignum ultimi alimēti singularum corporis partium. Qua ex re pēdet maximè parentū in filijs similitudo, nō partiū tantùm, sed uocis & aliarum actionū atque adeò morum: unde à Mātuano Carmelita rectè scriptū mihi uidetur: Qui uiret in folijs, uenit ab radicibus, humor: Sic patrū in natos abeunt cum semine mores. Hæc, ipse diuinus calor semini animaliū, atque adeò plantarum insitus per se molitur, sed diuinū addidi, quod calor, qua calor est, heterogenea quidē illa separat, ac dissipat, & homogenea cogit, qua uerò diuinus est, cerebralē in semine portionē sursum distribuit, & cranij portionē ex eodem semine secretā ipsi cerebro circūponit, cordis portionē in medio pulmone & thorace mediā, ex ipso semine secreuit, pulmonariā uerò thoracicamque in semine portione cordi circūdedit, eadēque iustissima ipsius œconomia in reliquis partibus effulsit. sine qua, nónne, ut in lignis, & alijs urendis terreū omne subsidet aëreum, & igneū attollitur:

Cap. 3. li. 2. de genera.

tollitur:aqueũ,ut dixi prius, ambigit pro uaria ſua ſubſtantia,& uaria ſui motione.ſic in imum corpus, uerbi gratia:ubi pedes & tibia ſunt,quicquid in nobis eſt terreum,nónne ob inſitam grauitatem ſubſedisſet? ibi que oſſa omnia,cartilagines, ligamenta,cerebrũ,ſpinalis medulla & oſſalis coacta ſubſtitiſſet? Adeps uerò ſanguinis portio tenuior,bilis flaua,ſpiritus ipſi leuitate innata elati ſumma petiſſent?carnoſum genus totum in medio interſtitiſſet?Idem calor in ſemine diuinus,ſeu ſpiritus ille calidus, & noſtri formator,uenas,arterias,canalesque reliquos & cauitates ſenſu manifeſtas,atque etiã obſcuras (per quas corpus uniuerſum eſt confluxile & conſpirabile Hippocrati)fiſtulat, easque quibus maximè ad actionem,aut uſum cõuenit applicat,& adaperit oſſa minora,fecit ſpongioſa,craſsiſsima etiam caua ad nutrimenti idonei repoſitionem,eadem oſſa connectit tam affabrè, ut nihil omnino deſiderari queat. Quid non facit?idem quibuſdam,aut anima, aut primum ac principaliſsimum animæ inſtrumentũ cenſetur ob uires in gignendo,formando,uiuendo præcipuas.Hæc uerò effecta,licet à calore illo diuiniore non impedito ſint inſeparabilia,tamen illius nõ ſunt propria,cum reliquæ ignis & aliorum omnium elementorum qualitates in ea cooperentur,ut mox dicam,ſed tamen igneus ille uigor, cuius cæleſtis origo eſt,primas partes in hac formatione ſuſtinet,totus ubique actuoſus.

Siccitas ſecunda,& mitior in igne eſt qualitas,illi inſita,& ſubſtantiæ ſuæ cõnexa,quæ etiam corporis alicuius humiditatem fugendo & cõbibendo exhaurit.

haurit, quod ſiccare propriè dicimus, quanquam illi altera quoque ſiccãdi uis accidit, & ſecundo ineſt, dum ſcilicet calor igneus humorẽ à ſe tenuatum foras euocat, atque diſsipat. Vtraque ſiccãdi uis actionem ignis reddit præſtantiorem. Ignis autem non modò calidiſsimus eſt, ſed calidis in uictoria, ſiccisque fouetur. Sicca enim omnia, quàm humida (niſi aërea & pinguia ſint) ardent promptius, ut in lignis experientia eſt quotidiana. Vinum item, mel, oleum, adipes, quò ueterauerunt magis, eò calidiora, ſicciora, tenuiora euaſerunt (niſi ſpeciẽ corruptione mutent) ob id etiam promptius ardent.

Nec tantùm ignis huius, ſed multo magis ignis illius ætherei actionem ſiccitas iuuat, cùm ſua, tum rei, in quam agit. Dum cuique parti formãdæ apta, & in locũ idoneum ſecreta ex ſemine, portio, mox propter natiuam humiditatem diffluereret ac relaberetur eò, unde eſt ſecreta, niſi adiutrix acceſsiſſet caliditati ſiccitas. Portione ſiquidem humiditatis illius largioris (utrunque enim noſtræ generationis principium ſemẽ, & ſanguis eſt calidum, humidum (per ſiccitatem illam duplicem, & præterea terream abſumpta, iam ſtat mole ſua, & tanquam fixa manet noſtri corporis materia, cauitatúmque latera amplius, ob mollitiem, non tam ſunt in ſe inuicem decidua. Iam oſſa ipſa nonnihil ſolida euadunt, & à uicinis partibus minus ſiccari habilibus apertè circunſcripta diſsident, quomodo figulinum opus uniuerſum initio præ mollitie caducum eſt: ſole autem & uento ſiccatum, euadit ſolidius: igne uerò perfecte ſiccatum tum demum fit ſolidiſsmum: ſic oſſa in nobis

Initio lib. ſanit. tuendæ.

bis prima ætate uelut cerea per nutritionem augen tur: iustum autem assequuta incrementum, duritiē induūt lapideam, ac eam ipsam quotidie maiorem, & nulla hominis industria uitabilem. Quod siccitatis effectum in ossibus apparet magis, in cæteris tamen corporis nostri partibus ad portionem spectatur, in his quidē magis, in alijs minus, pro uaria principiorum natura, & educationis.

Ne igitur cassa sit actio calidi, aut saltē parum firma, in subsidium addita est siccitas, quam non parum adiuuat maxima terræ cuique corpori mistæ magis, minus siccitas, de qua suo loco post nobis agetur.

Eandem commodandi rationem ignis leuitas, tenuitas, raritas, splendor, perspicuitas sustinēt. Hisque qualitatibus adiutricibus fit, & caliditate omnium efficacissima, ut ignis exigua portione uires mutandi habeat omnium maximas, terra contrà etiam maxima portione minimas, ut interim actionem præcipuam, quæ à tota fit substantia, omittam. His ergo qualitatibus leuitate, tenuitate, raritate, splendore, perspicuitate fit, ut ipse ignis infernus, & multò magis æthereus iste, ac internus, in omnē corporis mutandi partē prōptius penetret, eásque quantūuis exiguas, profundas, densas peruadat, & pro sua natura afficiat, mutétque, &, si datur, similes sibi reddat, hoc est summè calidas, siccas, leuissimas, tenuissimas, rarissimas, splendidas, perspicuas maximè, hoc est ignem, uel igneum, uel ignitum corpus efficiat. Ne uerò omnia sint ignis propter eximiam ipsius ad mutandum promptitudinem, & uehementiam,

contraria

contraria aliorum elementorum natura repugnat. Nam elementis, ut agentibus reliquis, ſcopus eſt paſſum (quoad eius fieri poteſt) ſimile ſibi reddere, nec prius ab agendo deſiſtere, quàm uicerint, ſi uinci poteſt. Vt ergo ignis, dum in alia agit elementa, ea ipſa uincere conatur: ſic cætera elemeta igni reſiſtentia in ipſum agunt, ipſumque, ſi præpollent, uincunt, modo tota ſubſtantia, & qualitatibus nõnihil cognata ſint. Porrò tenuitas, quia calorem ignis ſummum ſequitur, eſtque illius effectum, ob id in igne ſumma eſt, ut ſumma à raritate ſumma leuitas. Nam frigidum nullum, qua frigidum eſt, tenue eſt. Acetum enim, & ſuccus corticis uiridis nucum, quanuis frigida ſint, & ob id phlegmonarum incipientium remedia, ſintque eadem etiam tenuia, quæ tamen illis ineſt tenuitas, quãdam in utroque ſubſtantiam igni tenuatam ſequitur. Sunt enim hæc, ut alia pleraque, ſubſtantijs duabus contrarijs, & inde ortis facultatibus etiam contrarijs conſtituta. Quam rem indicat ſapor, aceti quidem, non ſolùm acidus, idémque frigidus: ſed etiam acer & is calidus: corticis uerò nucis, multùm amarus, ſubſtantiam terream igneo calore multùm tenuatam ſequutus, quo, per macerationem in aqua dulci idẽtidem mutata diſsipato, cortex ipſe manet ἄποιος, hoc eſt, qualitatis expers, ac inſipidus, proindéque idoneus ad ſaporem quenuis ſuſcipiendum, quod de cucurbita, & tubere, Galenus quoqu e pronuntiauit. Propterea nux uiridis ante condituram qualitate amara per macerationẽ, ut dixi, exuitur. Aër autem, flante borea, tenuior, quia, ob frigiditatem, uaporibus non craſſeſcit, uti

Lib. 1. fim pliciũ ca.

22. & lib. 6. Symp. Tenue duplex.

Lib. 2. sanit. tuēd.

Austrinis flatibus. Tenuitas autē hæc facit, ut ignis, & ignea, promptè in partes minimas separentur, & nisi sint dura, & magna in omnem corporis partem promptè permeent.

Rarum, abusiuè, & per metaphoram, quod laxū est, ac solutum, ut ignis, aer. Propriè uerò, quod poros, & meatus habet multos. & magnos, ut pumex, spōgia. Cōtra dēsum propriè quidē quod nullis, aut paruis est meatibus, ut buxū, ebenū. abusiuè autem, quod est coactū, compactū, solidum, ut aqua, terra.

Vtraque autem raritas leuitatem habet adiunctā: sed longè maiorē impropriè dicta raritas, quin et propriè rarum, ob id, leue est, quod suis illis poris, uel ignem, uel aerem, corpora rara, & ob id leuia, cōtinet. quorū loco, si aqua, aut terra poros impleat, (Vacuæ enim esse omnino non possunt) quanquam rara quoque tunc meritò dicerentur (cum poros & meatus habeant multos & magnos) tamen tantū abesset, ut pro raritatis ratione essent leuia, ut etiam omnino grauia essent. Sic etiam densa hæc, sunt grauia, &, quibus insederant, grauitatem suam impertiuntur pro multitudinis ratione, maiorem densiora, minorem minus densa.

Hac tenuitate summa, & raritate summa, & inde orta leuitate summa præditus ignis, ac multò magis iste ignis æthereus, etiam minimas partes alterandi corporis (ut dixi) attingit, quantumuis abditas, in quas actionem suam non explicaret, si pro tenuitate, raritate, leuitate, crassitiem, densitatem, grauitatem, terream sortiretur.

Calorem ignis utriusque, præterea iuuant dictæ qualitates,

qualitates, ut si quò abierint segregata corpora ab igni pulsa, eò ignis flamma his qualitatibus adiuta comitetur, eaque omnino permutet, quę tamen semimutata fortasse manerent. Neque enim cerebro satis fuit, ut in hanc partem eius substantia sit à calore insito secreta, nisi etiam tenuitate, leuitate, raritate, ut idem de fulgore & perspicuitate pollicear, omnẽ cerebri partem penitissimè ad actiones suas comparasset, ut in eo nihil redundet, desyderetur que nihil. Qua in re, opera naturæ, artificum etiam præstantissimorum, ut Phidiæ, Polycleti opera longè antecellunt, cum hæc tantùm foris superficie sunt bene expolita, intus uerò moles quædam terrea, rudis, ac impolita.

Cum naturæ opera, maiorem multò intus partium omnium dignitatem, admirabilemque non modo temperaturam, sed conformationem quoque ostentent.

Causæ ergo sint qualitates dictæ, non solum melioris ipsius ignis utriusque actionis, sed etiam ignẽ, ipsiusque facultates omnes, ac essentiam conseruãt. Facilè enim ignis uterque marcesceret, ac tandem extingueretur, nisi qualitatum harũ beneficio prõptè in passum se ipse quaquauersum insinuaret: quę res ad permutandi passi, siue ignis gignendi, aut nutriendi, celeritatẽ, magni est momẽti. Calor quoque noster, quanquã essentia est crassiore quàm igneus, substantiæ tamen totius proprietate, & dictis qualitatibus, paucis horis id perficit, quod nunquam ignis uel inceperit. Ex cibo quouis mox chylus, ex chylo sanguis, ex sanguine instauratus singularum

corporis partium fluor, id apertè demonstrant. Neque minus caloris huius custodiam qualitates hæ operantur, cum harum ope pabulum sibi continenter ex sanguine sibi moliatur, & qui singulis in partibus est insitus, ex harum alimento aut, si desit, humido substantifico. Tenuitas, raritas, leuitas in igne, cũ tam sint actuosæ qualitates, an in eodem fulgor, & perspicuitas sint otiosæ? At frustra est à natura factum nihil. Expendamus itaque, quam igni utrique commoditatem afferant: quanquam, ut igni externo manifestius insunt, & luci ipsi, ita in eo magis effectus illarum apparebunt: etenim in igne interno etiã insignius inesse cogitatione facilè assequemur, sed & sensu ipso, ut postea probabimus.

Fulgores terrifici, quando micat ignibus æther, ut poeta inquit, lux flammæ, solis, lunæ cæterorúmque astrorum, quàm repentè in medium aërẽ, & etiam aquam, uitrum, diaphanea reliqua se extendant longissimè, experiẽtia quotidiana abundè persuadet. Quódque corporibus, in quæ hæc agunt, splendorem quoque imprimũt, ostendunt fructus præsertim, qua parte solem excipiunt, ostendunt etiam alia plurima à flamma ipsa illustrata, & splendida reddita, sed caloris interni fulgor uel puero perspicuus est in colore corporis sanè florido, & benè habito, uegeto, ac nitente. apparet quoque in sanguine, bile flaua, atque adeo atra, quæ ex adustione nigredinem habet relucentem. Apparet omnium maximè in oculis, quos, si in tenebris uel minimùm cõfricueris, cernas ex eo igneas quasdam scintillas confertim effulgere, & foras erumpere. (Visio enim

Gal. aph.

ignis

ignis Platoni in Timeo, & ſenſorium uidẽdi tenuiſſimum Gal. lib. 4. loc. apho. cap. 2. Ariſtoteli autem aqueũ cap. 2. lib. de ſenſu) aliam ſcintillarum à percuſſu cauſam affert Aphro. probl. 58. ſect. primę. In luce quoque ſplendida, percuſſus oculus eadem uiſa efficit. Huic enim ſpiritui à calore inſito ſplendor ineſt, cuius & raritatis, leuitatis, tenuitatis beneficio per neruos etiã momento ad imos uſque pedes conuolat, ac in cerebrum, ſi cogitur, reuolat.

Sic aërem perſpicuum, & planè purum lux ſolis, lunæ, facis, ac ſplendor derepentè permeat: craſſum uerò, & nebuloſum aërem, aut uapore craſſo uictum minima parte ſui peruadit, id quod nobis liquidò apparet, dum latet obſcura cõdita nube dies, ac per caliginem, & in partis ſtupore. Neque ſolum alteri eſt magis permeabile corpus perſpicuum, ſed ipſum quoque magis eſt penetrabile, aqua enim minus tranſparens, quàm aër, tardius alia corpora penetrat, & tàm aër, quàm aqua, quò purior, & ob id tranſparentior fuerit, eò celerius corpora alia penetrat, quò obſcurior & opacior, eò tardius.

Hactenus ſatis explicaſſe mihi uideor actionem ignis primariam à calore eius ſummo perfici: meliorem tamen fieri, & etiam conſeruari qualitatibus alijs, ipſi etiam inſitis, ſiccitate, tenuitate, raritate, leuitate, fulgore, perſpicuitate. Reſtat demonſtrandum id, ſine quo ignis non agat. Eſt autem non ei proprium, ſed elementis cæteris atque etiam omnibus, quæ agunt aliquid commune. Id uerò eſt ipſius agẽtis, ſeu caloris ignei, quãtitas, & robur, corporis quoque afficiendi ab igne præparatio, agẽtis, paſſuríque

corporis, aut contactus, aut idonea ſaltem uicinia. Medium item ad agentis robur deducendum accommodum, & liberum: poſtremò tempus, niſi enim agens paſſo fuerit quantitate, & robore potentius, actio non fiet, cum ab æquali proportione actio, & uictoria non ſiat.

Quãuis enim caliditas ſit qualitatum omnium ad agendum efficaciſsima, tamen quantitatem quandam ad uincendum requirit, cum ignis ſcintilla lignum craſſum uix unquam uſſerit. Neque putes oportere paſſo agens menſura, aut pondere, aut mole ſemper præpollere. ſatis enim tantã eſſe eius quantitatẽ, quæ cum hoc robore paſſum uincere poſsit. Nam ignis parua portione uires habet maximas.

Robur autẽ agenti eſt ipſi non à quantitate ſola, ſed à ui, & facultate quadam agendi inſita, uel acquiſititia, etiam ſine quantitate, ut milites multos, ſed ignauos, ſtolidos imperitos, quanquã robuſtiſsimos, à paucis ſtrenuis, ſagacibus, exercitatis, etiã ſtrigoſis uinci ſæpe uidemus. Quædã enim parua quantitate uires habẽt traſmutãdi maximas, ut ſpuma canis rabidi, ſemen in muliere corruptum, aura illa uirulenta in epilepticis quibuſdã, uenena plurima, aqua uini ſæpiſsimè deſtillata chymiſtarum (ſi fiat) elixir.

Paſſuri corporis præparatio, quantam uim ad agentis uictoriam habeat, oſtendit morborum generatio in paratis tantùm, humorum, iam expelli præparatorũ, facilis uacuatio, alimentorũ, ſole, igne & alijs prẹparatorũ, facilis in uẽtriculo coctio, lignorum ſiccatorum, pingui aliquo illitorum, in minima ſectorũ, facilis uſtio. Quid uerbis opus eſt? nihil ſub

cælo

cælo fit ſine hac afficiendi corporis præparatione. ſi enim ſit rebelle, affici contumax, nihil, aut minimũ patietur: & fortaſſe plus agat, quàm patiatur: quomodo qui manu lapidem cædit, & caput alicuius durum, plus ſeipſe lædit, quàm percuſſum lædat.

Cum agens finitarũ ſit uirium, in quãtumuis longinquanõ aget aut tàm imbecilliter ut opus ſenſum fugiat. Cũque uis agẽs per interualla delata, ſemper magis elãgueſcat, et quò magis procedit, eò ſit imbecillior, quò propior eſt corpori ipſum producẽti, eò ualẽtior inde requiritur agentis, & paſsi propinquitas, quæ illi ad agendũ, huic ad patiẽdum maximè ſit idonea, ut ignis in propinqua, & contigua ualentiſsimè agit lõgè diſsita, ne calefacit quidem: lapis iactus propinqua ualenter cõtundit, longinqua uix afficit.

Medium agentis uim deducens liberum. Nã contactus omnino per mediũ aliquod perficitur, ut docet Ariſto. lib. de anima, ut uiſio nõ fiat, niſi aer ſit luminoſus, neque lapis hũc, quem appetis, aut percutiet, ſi alius interceſſerit, uel corpus aliquod ualidum oppoſuerit. In alijs mediũ. i. breuius, in alijs longius. Eſt, quãdo id mediũ uires agẽtis intẽdit, aut remittit, ut calor ignis per aquã agit blãdius, per cineres ualẽtius, per arenã quoque ualentius, per puluerẽ ſcoriẽ ualentiſsimè. Et ignis, quẽ Grẽcũ uocamus, ignis itẽ fulminis urit ſæuius, quàm noſtras ut ille ẽt in aqua urat, hic uinũ, gladium, cõſumat: cũ ignis tãtùm ſit, ſed intẽtione diuerſus ob alimenti, opinor, familiaris copiã, ut in oleo, terebinthina, melle, & ſimilibus incẽſis apparet. Cõtra ex lapide amiãto ellychniũ oleo affuſo flãmam nutrit, ſed ipſum immortale manet

ignibus inuictum,uel totius naturæ proprietate, uel quod ſubſtantificum eius humidum igni non eſt habile depaſci.Id quod declarant mantilia,eo,ceu lino, neta,& texta:quæ dum ſorduerunt,igne purgãtur nullo prorſus incommodo.

Tempus denique omni agenti eſt penitus neceſſarium,quùm nihil in inſtanti fiat, ſed tempore ad agendum egeat.id quod ita eſt manifeſtum, ut probatione non egeat.

Hæc in igne fuſius ſum proſequutus, quòd is ſit maximè omnium actuoſus,& efficaciſsimus : deinde,quòd hæc in igne cognita nullam requirant declarationem nouam in aëre(cum hic quoque ſit calidus,tenuis,rarus,leuis, ſplendidus, perſpicuus) & hæc,atque alias cauſas,ſine quibus non agant, habeant eaſdem cum igne. Ad hæc ſi contrariorum eadem eſt diſciplina,aqua autem igni eſt contraria tota ſua ſubſtantia,& qualitatibus propè omnibus,terra quoque quatenus craſſa,dẽſa,grauis,opaca, igni, & aëri contraria,non erit difficile,quæ de igne dicta ſunt cæteris applicare:ut pręterea mihi oratione longa non ſit utendum . Paucis igitur eandem methodum in aëre exerceamus,cuius ut ignis,& reliquorum elementorum à natura ipſa,ſcopus eſt miſtionis uarietas ad generationem,& corruptionem neceſſaria . Primaria igitur aëris actio quærenda eſt,ut in igne,ſumẽdáque ex qualitatis in eo ſummæ actione.Ea autem qualitas,quæ ſit,etiam doctorum ſententiis ambigitur.quidam enim aeri ſummam humiditatem,aquæ ſummam frigiditatem tribuunt : alij contrà,frigiditatem ſummam aquæ, aeri ſummam humi-

humiditatem largiuntur. Quin & Gal. & Aristoteles nunc hos, nunc illos sequuntur. Nam aqua, præter quàm quod refrigerat, omnium est humidissima. Nihil enim est aqua humidius, libro. 1. simpl. cap. 30. in fine.

Aqua siue feruens, ut exurat, siue refrigerata maximè, humectandi facultatem nunquam, ut consentaneum est, deponit. lib. 1. simpl. cap. 8. ad finem. Humidissima quoque aqua Galeno statuitur lib. de natura humana commentario in textum (Nam ut annus) Et Aristoteli lib. 4. meteororum cap. 4. Aer uerò humidissimus Galeno dicitur commentario in textum de natura humana. (Cum igitur natura) & Aristoteli lib. 2. de generat. cap. 3 & alibi passim.

Quæ igitur est in aere, & aqua summa qualitas, nondum planè constat, & ea nunc esse in aere toto non una uidetur, sed in medio frigiditas, in summo caliditas quædam ignea, in imo multùm uaria pro uentorum: regionum, & anni partium natura, tamẽ ferè qua tangit aquam humiditas, qua terram non humectatam siccitas. Hinc aquosis locis aerem semper humidiorem experimur, arenosis, & lapidosis siccorem. Ad hæc infimus hic, & nobis circunfusus aer nos modò, calefacit, modò refrigerat, modò humectat, modò siccat pro uaria (ut dixi) regionum, partium anni, & prẹsentis status temperatura. Eum uerò qui est igni proximus, ignis naturam sequi uerisimile est. Medius quanquam frigidissimus sit, in omnem tamen excessum alterabilis uidetur, cum & frigiditatem illam summis æstibus intendi, alijs tẽporibus minime scribat Arist. cap. 12. lib. 1. meteo-

rorum.

rorum. Frigidissimũ autem demonstrant mixta imperfecta, in eo concretione genita, nubes, nix, grando pluuia, quodque omnia coagulabilia, atque ipsam aquã, nos ambiens aer, ubi medio similis euasit flatu Aquilonio, cõgelet, nõ aqua, aerẽ. Eò autẽ frigiditatis aer medius peruenisse uidetur, non ex sua natura, sed ex accidenti. Vaporibus scilicet ex aqua iu eũ illatis initiò, qui densatus in eo tum etiam minus calido, quàm sit summus igni uicinus, & quàm imus radiorum reflexu calfactus, aquæ frigiditatẽ natiuã repetiuit, ac pro sua qualitate illa, aerem mediũ iam frigidũ effecit, ut uaporibus in cerebrum elatis, & in eo densatis cerebrũ tandem euadit pituitosum, & frigidũ, cum ipsum, uti partes spermaticæ aliæ, licet initiò calidæ sint, tamen quia exangues, frigidę euadũt.

Arist. cap. 3. lib. 2. de gene. ignẽ in summo terrã in cẽtro puriorẽ, aerẽ uero & aquã impura magis elemẽta.

Alij aerẽ medium natura, non ex accidenti, frigidissimũ esse hinc colligũt, quòd siquid purorum, & mistionis expertium est elemẽtorum, id in ea ipsius esse parte, quæ à mutationibus cõtinuis est remotissima, sit uerisimile, ut in conuexo ignis, & in media aeris sphæra & ad polos aer & terra in centro. Ad quod aquæ uergentes in uenis terræ ipsius etiã elementares magis fuerint. Cæteræ elementorum partes elementa non sunt, sed singulæ ex elementis cõflatæ. quapropter & nutriunt, terra, aqua, aer, & pyraust as ignis: nutrire autẽ non possunt, nisi ei, quod defluxit, simile substituant: at id elementis quatuor cõstabat: ergo & quæ animal nutritura est elementi pars, elementis quatuor cõstat, ob tã multas iã inde ab orbe cõdito elementorũ alterationes, mutuasque in se trãsmutationes. Quãdoquidem, quæ elementa

sibi

ſibi ſunt cõtigua,qua ſe parte attingunt,nullius elementi alterius interuentu in ſe continenter mutuò tranſeunt,ob ſymbolum,& cõſenſum ſubſtantiæ totius,et qualitatum tum primarum,tum aliarum primas conſequentium. Quem conſenſum quò maiorẽ habent,eò promptior fit mutua eorum tranſmutatio:ſic aer ſummus, & ignis imus tota natura ſibi proxima in ſe facilè tranſire uidentur,ut aer nos ambiens facilè fit flamma,quæ in aerẽ derepẽtè redeat. Sic aer imus,& nos ambiens,& aqua ſumma, aqua ima, & terra ſub hac ſumma, ſed hoc diſcrimine: quòd,quæ ex elemẽtis ob eſſentiæ tenuitatẽ, & qualitatum energiã,mutari aptiſsimis.fit tranſmutatio, illa celerrimè,& nullius interuẽtu perficitur, quòd non ſolũ à tota ſubſtantia ſecum familiari,ſed etiam qualitatibus ualentiſsimis fiat,ut ignis,& aeris ſummi mutuam alterationẽ eſſe promptiſsimam,eſt ueriſimile,quia multũ cognata ſunt hæc duo,& potentibus qualitatibus prædita,ambo enim leuia,rara,tenuia,ſplendida,perſpicua,& tota natura cognata,caloreque,& ſiccitate ſibi proxima,ut intenſis parum his qualitatibus ſubſtantiam alterantibus,mox ignis ex aere illo ſummo fiat, remiſsis ex igne imò, aer, quod aer nos ambiens demõſtrat,hic enim,& aerea omnia in ignem promptè tranſit.

Gal.lib.de nat.homi.

Cõtra uerò elementa ob eſſentię craſsitiẽ mutari inepta,pręſertim à qualitatibus minimũ efficacibus in ſe tardius trãſeunt,feréque alterius mediæ mutationis interuentu,ut aer nos ambiens in aquam, & aqua in aerem,non tranſit primò, ſed per uaporẽ in quem,aer craſſatus abit. Hic uerò uapor craſſatus magis

Lib.3.temperamen.

magis fit aqua,quæ tenuata fit uapor, qui tenuatus magis in aerem transit,quod,caligo, & nebula, uapor utraque ostendit:nam tenuata magis in aerem uanescit,crassata fit pluuia. Per tenuationem uerò reliquas aeris qualitates intellige,ut aquæ qualitates alias per crassationem. Nam aqua non modo tenuata,sed leuior, rarior,perspicua magis: sed tota sua substantia mutata,fit uapor,& hic iterum omnes aeris qualitates, & substantiam adeptus fit aer, contráque aer natura sua tota,& insitis qualitatibus depositis,fit uapor:idem,aquæ substantia assumpta simul cum qualitatibus omnibus,fit aqua. Aer igitur per uaporem in aquam transit, & aqua per uaporem in aerem remigrat. Vapor enim,cum humor sit tenuatus,naturæ est mediæ inter aerem,& aquã, opinor quòd ea duo elementa mox in se transire nequeant ob naturarum uarietatem, quomodo alimenta nobis familiaria lac,uinum, caro, mox corpus alunt,quæ magis sunt à nobis aliena,ut brutorum pascua, multis in medio egent antè transmutationibus,quàm nos nutrire possint. Nam aer tenuis,leuis,rarus,aqua crassa,grauis,densa,perspicuitate, & splendore tamen communicant duo hæc elementa,& præter hæc ignis.Sed hæ qualitates sine alijs sunt ad transmutandum maximè imbecillę. Faciliúsque terra in ignem transierit,quàm aqua,igni tota natura,& primis duabus qualitatibus contraria.Terra autem siccitate igni cognata est,quo fit,ut terrea lignorum siccorum portio promptè in carbonem transeat,ignis speciem. Aqua uerò prius in uaporem,inde in aerem abeat oportet,quàm familiare

Ca.8.lib. 1.simpl.

ignis

ignis alimentum efficiatur. Ad hanc mutationis aeris, & aquæ tarditatem facit plurimum qualitatum mutationem hanc facturarum ad agendum imbecillitas, non substantiæ solius mutandæ contumacitas. Nam à frigido fit aeris in uaporem, & uaporis in aquam mutatio, adiuuante grauitate, crassitie, densitate: à calido autem imbecillo, aquæ in uaporem, & inde in aerem mutatio, adiuuante pauca utrobique leuitate, raritate, tenuitate, quæ qualitates magnæ essent necessariæ, si ab aqua in aerem sine medio faciendus esset transitus: sic ex humore à calore imbecillo fiunt flatus in nobis, & aere uaporosa quædam substantia à uehementi non fit, nisi materia sit flatulenta. Gal. lib. 6. de causis Symptomatũ. Multùm igitur momenti habet ad transmutationis celeritatem substantiarum societas, similitudo, & familiaritas, quæ tamen per se mutare non sufficit sine qualitatibus primis præsertim, sed etiam alijs mutandam materiam præparantibus toti substãtiæ omnium maximè mutanti, imò quæ sola uerè transmutat, qualitates uerò ipsius sunt instrumenta, ut plenius docui initio libri de facultatibus naturalibus.

Lib. 3. temper.

Aerem igitur natura frigidissimum esse, sed uarie à causis uarijs alterabilem, quæ prius dixi, satis illorum sententia demõstrant. Quibus addas licet nõ solùm aerem medium, quia nihil, aut minimum alterationibus mutatur puriorem, & elemẽtarem magis esse, & tamen frigidissimum: sed eum quoque, qui ad polos propinquat, eandem seruare naturam. Cum enim sol & homo, hominem, sol & planta, plãtam gignat, tanquam potentissimus in generationem,

nem, & corruptionem planeta, is autem, quàm maximè illustrat aeris partem, ut quæ inter tropicos spargitur, sed etiam, quæ inter circulos arcticum & antarcticum, tamen quæ aeris pars his circulis concludi intelligitur, cũ solem, aut non sentiat mensibus circiter sex, aut obtusæ propter multã obliquitatem reliquo propè tempore sentiat, sub his aer elemẽtaris proximus fuerit. At is est, ut in medio sui frigidissimus, quod ostendit mare sub eo glaciale: ut etiam nunc aeris elemẽti, & eiusdem frigidissimi multùm supersit, quantùm scilicet à sole non calefit, nec miscetur rebus generandis, ut si in terra, & in aere illi respõdente animo fingis circulum arcticũ, & antarcticũ, & à circulo arctico terræ ad circulum eiusdẽ antarcticum lineas deorsum curuas, uel in polos rectas duci imagineris, quæ circunscribãt aeris nobis circunfusi, à sole illustrati & misti partẽ semper qui dẽ æqualem (nisi aliquid impediat) nunc tamen uersus arcticũ auctam, cum scilicet sol ad cancrum propinquat, nunc ad antarcticũ, quando sol ad capricornũ propius accedit: deinde etiã à circulo arctico aeris ad circulũ antarcticũ eiusdem lineas similes, sed ter curuas duci animo cõcipias, ut primũ uelut semi circulo uersus circulũ terræ arcticũ deorsum dorso pergat, cui dũ mediocriter propinquabit sursum reflectatur, qua prius figura lineæ in terra à circulis sunt ductę, sed inęquali, ut harũ duarum linearũ medio conclusa aeris regio, media è regione solis sit tenuior, quo magis à sole recedit, sit crassior: deinde perducatur linea ad circulũ aeris antarcticũ, ut quãtum aeris inter lineas à circulis terreis, & aeris du-

ctas

ctas interſit,totũ id ſit elementare magis,& frigidiſ-
ſimũ,quę magna eius eſt portio,maior tamẽ multò,
quę à ſole miſcetur.Nec ea tamẽ omnis fuerit ẽt mi-
ſtionis expers,ſed ea tãtùm quæ uim ſolis nõ ſentit.
Quid quod nubibus,nocte,hyeme tãtùm,ad ſuã na
turã reuerti uidetur aer,nulla foris corrogata quali
tate,ſed omiſſa ſolis calfactione?eſt autem tunc frigi
dus.Cur autẽ,quę ſub ſole regio aeris media iacet,ſit
frigidiſsima,partim prius à nobis dictum eſt partim
ab Ariſto.Nõ eſſe uerò humidiſsimũ hoc eſt omniũ
maximè humectantem aere,ſed aquam hinc docere
conãtur.Corpora omnia ẽt inanimata immodicè ſic
ca,nos aqua , & aquoſis corporibus miſtis hnmida
reddimus,nõ autem aere,& corporibus aereis, niſi
aliũde humectatis.Oleũ n.humectat,non aerea,ſed
aquoſa ſua excremẽtoſaque ſubſtãtia,quã,ut ſucci
cęteri,immiſtã cõtinet,eãque congelabilem, qua ab
olei natiuo calore cõſumpta,oleum,ut aer, & aerea,
alia à frigore,& gelu craſſeſcũt tãtùm,nõ cõgelan-
tur.Adhęc,ſumma in quoque elemẽto,qualitas,nul
la rõne(aiũt)tolli põt,multò minus in contrariã mu
tari. Ignis.n.ſumma caliditas,igne manẽte,nulla ra-
tione aboleri põt,multo minus ignis fiet frigidus.Eo
dẽ prorſus modo quę terrę ineſt ſiccitas, manẽte ter
ra,nõ tollitur,nec ẽt,quę aquę ineſt,ſumma humidi
tas tolli. Illa.n.ſimplex,quãtũuis calfacta,ſemper hu
mectat per ſe,per accidens uerò humorẽ ui,ac cititij
caloris tenuatũ è corpore foras euocat,ac ſiccat.Huc
pertinet,quòd nunquã eò frigiditatis aqua uenit ex
ſe,ut alia congelet,cũ aer interdũ tã frigidus euadat,
quãdo uidelicet motus facit boreã,ut oĩa cogat in gla
ciem,

Gal.lib. 1. ſimp.ca.8.

Vētus est aer motus Hipp. lib. de flatibus aliter Aristote.

ciem, durétque. Quanquam id frigus, imò aeri, ex locis sub polo glaciali ob solis recessum, accidere possit. Potest aer quoque hic elementaris magis statui. Fuerit igitur potius illis authoribus, aer natura frigidissimus, aqua humidissima, id est omnium maximè humectans, & qua nihil est humidius, ut lib. 1. simpl. cap. 30. Aer autem calidus, & incongelabilis, ut Aristoteli dicitur, fuerit summus, & per æstatem imus, interdum & medius, alicubi frigus remittit, seu caloris quidpiam suscipit per æstus alicubi, hoc est penitiore eius parte, frigus intendit, ut Aristo. lib. 1. meteororum cap. 12.

Si uerò humidum id appellemus cum Aristotele, quod suum terminum, suámque superficiem extimam ægerrimè per se retinet, alienum uerò terminum, seu corporis alterius continentis figuram, suscipit, ut siccum illi contrarium, aer hoc modo fuerit humidissimus. Hæc enim passio aeri magis inest, quam aquæ. Nam aer corporibus alijs, quantũuis mollibus, cedit, nullámque figuram ex se uel momento retinet. Vacuato enim uase aliquo aer mox subiens eius uasis figuram suscipit, suam exuit, & uesicam aere plenam, in quam uoles figuram, prõptius mutaueris, quàm aqua repletã, & flatu quantumuis leui, aeris figuram mutas, siue utriculum imples, siue uesicam, figurã igitur alterius cuiusuis corporis etiam aquæ, aer ipse celeriter admittit. Id etiã declarat motus animalis per aerem multo celerior, quàm eiusdem per aquam. Nam celerius per aerem, quàm per aquam, uolat anas, & delphinus se iaculatur, & quo aer purior, & tenuior, & leuior, & rarior,

rarior,eò celerior per eum fit uolatus,quò crasior est aer:eò tardius per eum uolatur, ut aqua quoque,quò tenuior est,ac leuior, eò per illam promptius nauigatur,quàm per cõtrariam. Quod etiam docet lacus asphaltites,in quo propter aquæ bituminosæ crasitiem,animal mergi non potest,multò minus natare. Crasities enim aquæ ut marinæ, ad sustinendum naues grauissimas,pisces cetodes,quantùm est apta,tantùm ad penetrandum est inepta.

Nec absurdum tibi debet uideri aerem nunc frigidissimum, & aquam humidissimam dici diuersis scilicet rationibus,& significatis humidi. Nam aer humidissimus fuerit,quod terminum alienum prõptè admittit,suam uerò figurã,& superficiem ægrè retinet:aqua autem humidissima,quia summè humectat,immò etiam,quia in misto(ad quod Aristoteles humidi,& aliarum primarum qualitatum definitionẽ refert) alienum terminum omnium facillimè admittit,suum ægerrimè retinet:cum terminationi,& contemperationi usquequaque accommoda,per se uerò est facillimè terminabilis, ut exẽpla priora ostendunt. Potest etiam aer humidissimus dici humiditate unctuosa,in ipso propter tenuitatem, & raritatem obscura:aperta uerò in aereis,ut oleo, adipe,humido substantifico,quod incongelabile est, quia aqueum non est,sed aereum, pingue,lentum, ut docet Arist. lib. de long. & breuit. uitæ. Immò nõ frigidus natura, & modicè humidus est aer, ut illi persuadere conati sunt rationibus non ita probabilibus,& quas absurdissima plurima, quæ recensere longum esset,consequuntur:sed uerè est natura hu-

Arist. li.4 meteoro. ca.1.& 4.

 midissimus,

midissimus, & modicè calidus. Id quod prius, quàm probè, paucis illorum rationes mihi diluēdæ sunt.

Primo loco, quòd scribūt aeris totius qualitatē, nunc unam non esse, fatemur, cum & Aristo. cap. 3. lib. 2. de generatione, aerem, & aquam impuriora esse elementa, ignem, & terram puriora recipiat. Neque agimus de apparente uarijs anni partibus aeris temperatura, sed de natiua, & insita.

Quod secundo loco afferunt, aerem elemētum in media ipsius sphæra maximè inueniri, id cum Aristotele, nec in aere, nec in aqua recipimus, in igne & terra uerum est. Nam in media regione, cum mista imperfecta gignantur, & interdum animalia, & mōstrosa quædā, quæ Iupiter pluisse dicitur, quomodo igitur ea pars pura erit, & non potius summa?

Tertio loco, quod subijciunt formam cuiusque elementi qualitatem perpetuam esse, non magis ipsorum sentētiam tuetur, quàm demolitur. Nam etsi donemus qualitatem cuiusque elementi summam in ipso esse perpetuam, id aerem frigidissimum non conuincit, quùm media ipsa regio sit alterabilis, ut etiam Aristoteli uisum est docenti mediam regionē æstibus frigidiorem, quàm frigoribus. In qua, si ranas, & alia quædam mista perfecta gigni recipimus per æstus, ac pluere etiam cum calor aliquis uicinas mediæ partes occuparit, fuerit que tunc frigida, quomodo ouum in aquam feruentē iniectū ambitu coquitur quidem, intus uerò crudum manet, & panis traditus igni ualido, ut, si assatur, intus humescit magis, protrusa intro parte humiditatis superficiariæ.

Quarto loco, quòd aqua nunquam tam frigida, ut congelet,

ut congelet: aer autem Borealis omnia concrescere habilia, cõgelat, id ex frigiditatis intensione sola non accidit, sed essentiæ tenuitate & crassitie: aer enim frigidus ob essentiæ tenuitatẽ facit frigus penetrabile magis, & aquam cæteraque gelabilia etiam penitissimè cõgelat: aqua autẽ frigida, et frigore et essentię crassitie sibi uiã precludit, ut ne minimũ quidem intrò penetret. Quin & aqua calfacta in aere etiã æstiuo, & meridiano deposita frigiditatẽ recipiet, uelut natiuã multò maiorẽ, quàm quæ ab aere. ex quo patet eã natura esse frigidiorẽ aere. adhęc si aer esset frigidus, tria elemẽta essent frigida, unicũ & à nobis remotũ calidũ, & caliditas in nullo elemẽto esset remissa, cũ singulæ aliæ in aliquo sint elemẽto remissæ, ut singulæ summę. Sed de his plus satis. nunc aerẽ natura humidissimũ, cum Aristotele probemus, hoc est etiã maximè humectantẽ. Nã æs, & intimos lapides, citò, ac penitissimè humectat, si pluuius est. Humiditate tamẽ parũ diu ob tenuitatem duratura, aeria uerò pinguia, ut adeps oleũ etiã diu humectant: quùm aqua, nec citò, nec diu, nec penitus humectet. Quod si aerẽ pluuiũ ab aqua sibi mista non à se humectare dixeris, nõ negabis aerẽ uernum cũ Hippocrate calidũ humidũ, & eundẽ mutationum à sole, & alijs magnarũ maximè expertẽ. Nã neque friget, ut hybernus: neque calet, ut æstiuus: sed uelut in harum qualitatũ medio est, neque siccus, ut ęstiuus. Humectare autẽ multò magis, quàm hybernus, hinc deprehendas, quod germinationi, & animaliũ generationi est aptissimus: quę duo sine larga humiditate nõ fiãt, & largiore, quàm seminis calor natiuus, aut solis possit

depaſci. Si enim totã depaſceretur calor alteruter, neque generatio fieret, neque per nutritionẽ auctio. Aer igitur omnium penitiſsimè, & citiſsimè & potentiſsimè humectat calido adiutus, & tenuitate, leuitate, raritate, quibus qualitates contrariæ aquam penitius, & potentius humectare prohibent. Quæ alia in hanc rem dici poſſunt, ex uarijs Ariſtotelis locis adſcribere ſuperſedeo. ad ſecundam aeris qualitatem mihi tranſeundum eſt.

Aeris qualitas ſecunda ijſdem ſaltem fuerit humiditas, quæ immodicam ab ipſius frigido cõcretionem impedit, ob id per eam melior actio aeris fit à frigido, ut uolunt, profecta. Partes enim corporis (inquiunt) tanquam lignum rigidum nolumus, præter oſſa, ſed molles & flexiles aeris humidi, & aquæ beneficio. Quanquam enim humida quædam magis concreſcere uidentur, quia uidelicet ſimul terrea ſunt, tamen quæ omnino humida ſunt, terrenæ fœcis expertia frigore non concreſcunt, ut uina tenuia: acetum, cum his aquæ loco paratum atramentum ſcriptorium, aquæ item igni deſtillatæ tardius concreſcunt his, quę aquæ uapore deſtillatę ſunt, & ambæ aqua dulci: quæ quantò craſsior, tantò citius concreſcit. Quin & ſi aeri aquea humiditas acceſſerit, ut aquas tangenti, aut pluuias & caliginem, multò magis corpora omnia etiam abditiſsima humectat, quàm aqua ipſa, ſed minus diu, quod aeris tenuitas, raritas, leuitas, ſplendor, perſpicuitas aquam penitius in alia conuehunt, in quæ aqua per ſe ob craſsitiem, grauitatem, denſitatem, nunquam penetrarit, ut idoneum ſit aquæ uehiculum aer, quomo-

do

do propter totius corporis caliditatem, & ſiccitatem ſitientibus, uinum uel acetum ex aqua ſumptum ſitim celerrimè extinguit, quum acetum ſiccitate & pauco calore præſertim, ſi acre admodum eſt, per ſe augeret, ut uinum calore, & ei proportione reſpondenti ſiccitate, aqua uero quanquam frigida & humidiſsima ſitim illam extinguere ſit idonea, tamen ob frigiditatem, cruditatem, craſsitiem, denſitatem, grauitatem, diu in uentriculo, & hypochondrijs moratur, neque in partes refrigeratione, & humectatione egentes, penetrare poteſt: cum frigiditate poros, & ora uaſorum denſante, uiam ſibi ferè præcludat.

Paucum autem acetum præſertim album, uel aliter tenue multè aquæ miſtum tanta ſcilicet menſura, ut bibi citra moleſtiam poſsit, ſitim illam celerrimè extinguit: & paucum uinum etiam album, uel pallidum, uel rufum & fuluum aquæ, ſed largiori miſtum. Aqua enim aceti ſiccitatem, & ſiqua ineſt ob acrimoniam caliditas, humiditate & frigiditate frangit, & uini ſimiliter. Vinum uerò, & acetum eſſentiæ tenuitate aquam, ceu uehiculum quoddã, in partes remotiſsimas celerrimè perferunt. Minus diu autem aer humectat, quam aqua, quòd eius humiditas, ut magis eſt per uias & corporum receſſus ac poros meabilis, ita eſt diſsipabilis magis. Aqua uerò in eoſdem meatus ob craſsitiem ęgrius inſeritur, ibi tamen cõſiſtit ac diutius retinetur, ut quæ uniuerſim, & citò nutriunt, uniuerſim, & citò uacuãtur, quæ paulatim ac tardè nutriunt, paulatim & tardè à calore noſtro diſsipantur, Hippocrati in Aphoriſmis. Porrò aerem natura humidiſsimum, et modicè

Oxycratũ id eſt poſca.

calidum facilè deprehendes, cum mutationibus à ſolis acceſſu, & receſſu maximo uacat, ut uere ipſo, quando maximè eſt genitiuus aer, & prolificus maximè in toto plantarum genere: quanquam etiam tũ humiditatem ex hyeme retinere, calorem ab impẽdente æſtate, & incipiente ſolis ad nos acceſſu, cauſari aliquis poſsit.

Tenuitas, raritas, leuitas, ſplẽdor, perſpicuitas in aere facultatem habent eandẽ, quam in igne, ſed tantò minorem, quãtò aeri inſunt hæ qualitates, quàm igni imbecilliores. Inſunt igitur, ut melior aeris primaria fiat actio, qualiſqualis illa eſt, utque aer, & omnes eius qualitates cõſeruentur. Per has enim aer agitabilis purior, & incorruptior euadit, ut enim uitium trahunt ni moueantur aquæ, ſic aer conualle, domo, arca, loco alio concluſus, corruptionem ſui odore tetro prodit. Quæ putredo eſt omnibus non difflatis, nec uentilatis, præſertim calidis, humidiſque auſtris flantibus qualis eſt, nos ambiens aer loco calido & humido concluſus.

Calor enim, ubi paulò eſt auctior, putredinis eſt author, utpote iã rei ipſi præter naturam: humiditas uerò illa plurima à calore natiuo, non cohibita, nec uicta diffluit, & elemẽtorum diſſolutionem, ſeu putredinem accelerat.

Cætera quæ de igne ſunt dicta, ſic ad eius actionem neceſſaria, ut ſine his actio non fiat, eadem ſimiliter de aere, aqua, terra ſunt expendenda, agentis, ſcilicet quantitas, & robur, paſſi diſpoſitio, utriuſque contactus, aut iuſta ſaltem propinquitas, per quam agere & pati queant, medium

legitimum

legitimum & liberum, & tempus. Quapropter in his sermone longo mihi utendum est nequaquam, sed ad reliqua duo elementa paucis explicanda transeundum.

Aqua omnino est ijsdem humidissima, quòd (ut ex Galeno afferunt) humectãdi facultas ab ea sit inseparabilis, cum ea, quantũuis calfacta, & refrigerata sit (modo nõ sit cõcreta) semper ex se humectat maximè. Ex se autem dicunt, quoniã feruens aqua, aut frigida multùm, nobis ingrato hoc utroque excessu feruoris, & frigoris, cutem densat, & poros contrahit: sicque aquam aditu ad interiora prohibet. Quæ uerò tẽperata est, & omnis alienæ qualitatis expers, illa semper humectat, siue potu sumatur, siue balneo corpori circundetur. De gener. cap. 3. probat Arist.

Hæc aquæ humiditas, magnarum est illis uirium in generatione, summam enim terræ siccitatem, & eam duplicem, quæ ab igni proficiscitur, aeris humiditate adiuta corrigit. Hæcque cum terra, materiæ plurimum corpori tribuit, cuius continentia ferè sunt aquea simul, & terrea, atque etiam contenta, præter impetum facientia, seu spiritus, quæ aerea magis & ignea sunt, ut igitur terra ex aqua subacta fit lutum, habile ad formam quanuis suscipiendam, sic nostræ generationis primordia, semen uiri & mulieris, & sanguis maternus, ambo ex quatuor elementis composita: sed sanguis, aqueus & terreus magis, semen uerò, quanuis initio aereum magis ac igneũ sit, dissipata non multò pòst horum elementorum magna ui, & substantia, quæ ex illo fiunt partes, aqueæ & terreæ euadunt. Ta- Aqua feruens dẽfat Gal. libro sanit.

les enim temperamento ſunt omne ſpermaticæ, & albæ in nobis partes, hoc eſt frigidę omninò, & quędam etiam ſubhumidę, ut cerebrum, nerui ſenſifici, quibus aquæ plus ineſt, quàm alijs ſiccis: quæ ſunt cerebellum, ſpinalis medulla, nerui molares, oſſa, cartilagines, ligamenta, tendones, membranæ, idque magis & minus pro largiori terræ portione, niſi & ſiccitas ignea acceſſerit, uel ſtatim initio, uel ſaltem ætatis curſu, aut uictu ſiccante.

Sed hi non uident ex terra elementari, quæ, quo uis adamante, Galeno teſtante durior cenſetur, & aqua, lutum fieri non poſſe, cum aqua in hanc nunquam permearit: Aer autem promptè permearit, ut etiam lapides & metalla ſubeat, & ea etiam præ gelu frangat, aut fragilia magis reddat. Neque natiuam illam humectandi uim aer unquam perdit, niſi adeò ſit alteratus, ut aer propè iam eſſe deſinat. Summis enim æſtibus igneus eſt aer, non aer abſolutè. Eſt igitur nunc aer humidiſsimus, quia celerrimè humectat: aqua humidiſsima, quia maximè diu humectat.

Secunda aquæ qualitas ijſdem eſt frigiditas, quæ tamẽ Ariſtoteli cap. 3. lib. 2. gener. eſt prima, homogenea, & heterogenea ad miſti compoſitionem congregans, ſed non adeò ut congelet. cum ſit in aqua non ſumma ut in aere. Huic tamen ſi interdum ſummæ proxima accedat ex frigore aeris, aut terræ, tamen mitior ſentitur quàm aeris frigiditas: ſiue, quia ob aquæ craſsitiem, & motum frigidi pigrum minus intra corpora penetrat, quàm aer. Hinc penetrabile frigus aeris magis, quàm aquæ ſuo contactu

corpora

corpora noſtra afficit. Quod ſi etiam detur maior aquę, quàm aeri ineſſe frigiditas, tamẽ quia humidiſſima eſſe aqua prius eſt probata, minus glaciari eſt habilis ab ſua frigiditate, niſi quæ terrea multũ eſt.

Hæc præterea frigiditas, ignis ſummum calorẽ temperat, quomodo (ſi Ariſtoteli credimus) cerebri frigiditas, cordis caliditatẽ, facitque frigiditas aquæ, & aliorum cum calore, iuſtam partium in calido & frigido miſtionem, quomodo humiditas ſiccitatem corrigẽdo, humidi & ſicci corpus quoddam mediũ efficit, cui ſcilicet eſſe tali conuenit ad edendã actionem ſuam, uel uſum præſtandum, ſed tamen frigiditas hæc, quædam in nobis glaciat, ut pituitã frequenter in cerebro, adipẽ in omnibus corporis partibus, neruoſum genus. Huius enim ſubſtantia eſt à frigido concreta, ob id fotu aquæ calidæ diſſoluitur.

Galenus id falſum probat li. uſus partium. Gal. lib. Meth.

Quomodo quæ glacies multis iam annis loco aliquo concreta manet, criſtalli modo fit duriſsima & ægrè fuſilis, ut & ſuccinum ſeptentrionali frigore ualenter concretum, cum gummi pini Gallicæ facilè ſoluatur: ſic adeps in nobis nouus calore non ita multo liquatur & ſoluitur: uetus autem uehementi, ut per febres ardentes, in quibus urinæ pingues, & deiectiones opimæ inde apparent.

Splendor, & perſpicuitas in aqua uires habent eaſdem, quas in aere & igni, ſed maximè imbecillas, quòd in his leuitate, tenuitate, raritate, & in igni prę terea calore iuuentur ad penetrandum, in aqua frigiditate, craſsitie, denſitate, grauitate magis penetrare prohibentur. Tamen hæ tres aquæ & terræ communes qualitates, uti tres oppoſitæ igni & aeri magnarum

gnarum ſunt uirium, & ad miſtionẽ iuſtam neceſſa riarũ, primũ, ut ſubſtantiæ plus ſub mole parua con tinerent: non cõtrà, ut ignis, aer, rara, ut dixi, corpora. Aqua enim, & terra, miſto ſolidæ ſubſtantiæ plus ſuppeditant, & grauitatem, quietémque præſtãt, ſeu plus materiæ craſsioris: ut contrà, ignis, & aer plus materiæ tenuioris, & ſpirituoſæ, à qua corpori leuitas, ad motiones promptitudo. Quod apertè oſtendunt tenera animalia moueri promptiſsima, & aptiſſima ob ſpirituũ magis æthereorum copiam, præſertim ubi iã aliquantulum adoleuerint. Vetula uerò ſedere, quieſcere appetunt, ſi mouẽtur, propè inuita, nec celeriter etiam, ſi uelint, poſſunt, quòd aqua & terra iã magis dominãtur, unde & pituitoſa ſunt maximè in ſpacijs inanibus, ſicca plurimũ in ſolidis partibus. Quin & ſpiritus impetũ facere cõſueti in his ſuperſunt perpauci, & hi quadãtenus iã frigore concreti, pigri, mouere inepti, in aquoſam, & terream naturã quantùm ſpiritui datũ eſt, inclinãtes. Vt igitur aqua, terráque miſto plus materiæ largiri uidentur, ſic ignis & aer plus formæ, aut ſaltẽ ex aqua, & terra materiã informẽ, & ineptam ex ſe ad formam recipiendam, uelut poliunt, fingunt, formant, ad formãque ſuſcipiendã omniũ maximè apparant, et hac ſuſcepta magis exercẽt agitatione perpetua. Cui niſi aqua, & terra craſsitie, dẽſitate, grauitate obſiſterẽt, & ignẽ aeremque uelut illigarẽt, ac nexu quodã miſtionis coercerẽt, haud dubiè miſtũ parũ diu ſupereſſet elementis illis tenuibus, leuibus, raris, irrequieto motu cõſumendis, aut ſtationẽ ſuam deſerẽtibus, & in locum natiuum reuolantibus. Ergo elemẽta hæc

duo,

duo,cõtrarijs duobus mista,corpus quoddam grauis & leuis, densi & rari, medium efficiunt: quod à leuibus illis mouetur, à grauibus interdum quiescit: ut sit durabile magis commodante in id non parum somno, frigiditate & humiditate,horum elementorum cõciliato, quem caliditas & siccitas interrũpũt,uigiliásque ac insomniũ inuehunt. Calore enim motũ excitari ostendũt,uipere sub æstu,& homines uino,aut aliter calfacti:frigore uerò quietẽ cõparari testãtur partes nobis frigore torpidæ,& uiperæ,aliáque animalia hyeme latẽtia,tuncque mortuis simillima. Grauia igitur,& dẽsa,& crassa hæc elemẽta,cõtraria cohiberi inepta continent,ut corpus animã,& uasa uitrea,& densa aquã,uini olea chymistarũ,facilè ob tenuitatẽ,raritatẽ,leuitatẽ exhalabilia. Gal.lib. loco aff.

Terra tanquã officina quædã,& fundamentum generationũ,ac naturæ subiectum materiã præbet omniũ plurimã corporibus gignendis: quapropter etiã plurima corruptis superest. Ea omnium maximè siccat ex sese,præsertim,siqua est elementaris,& simplex. Eadem cum sit siccissima,etiam est omniũ durissima,& quouis adamante durior.

Eadem figuram ægrè suscipit, susceptam pertinacissimè retinet,ut aqua, & aer, & ignis contrà. Quomodo qui discendi & apprehendendi prõptitudine pollent,memoria parum ualent:contrà quibus discendi est difficultas,memoria sunt fideli. Gal lib.de natu.hominis.

Quę res,usus est omnino maximi,ad rerũ diuturnitatẽ. Cum enim ignis,aer,aqua per se,& simul mista materiam rei præstent spargi facilem, extendi promptã figurari aptã,in quiduis sequacẽ,qubusuis

lineamentis

lineamentis ductilem, sed celerrimè eluibilem figuram, & maximè caducam, ac euanidam, nisi horum subsidio terra à summo rerum omnium opifice superaddita esset, quæ ut per se ob siccitatem, & natã inde duritiem ægrè figuratur: ita alijs elementis omnium tamẽ maximè aqua dum emollitur, idque mediocriter, temperaturam quandam efficit, mediã humidissimi ac siccissimi, ut in luto apparet. In qua quidem temperatura quãtum ex aqua accedit mollitiei, tantùm ex terra duritiei: & quantùm aqua rẽ figurari aptam efficit, tãtùm terra fingi ineptam: & quantùm terræ figura est durabilis, tantùm aquę est euanida. Sed tamen ipso formationis initio plus humidorum elementorum, ut ante docui, est immistũ ad formationem singularum corporis partium faciliorem, quæ ne dilabatur prospectum est per contẽta, & impetum facientia, & succedentem ætatis processu siccationem. Quomodo enim nec figulus formata uasa, mox igni coquit, ne rumpãtur, sed ante paulatim uẽto, & sole siccat, sic rerum opifex nostri corporis materiã initio statim siccari noluit: sed paulatim, ne immortales essemus, si nunquã siccaretur. Id igitur ad mediocrem rerum durationem factum est, cum perpetuæ esse nequeant. Tradunt igitur elementa operas mutuas, & se inuicem adiuuãt. Nam terra, aquæ beneficio, in formam quamlibet, nec ita difficulter fingi habilis redditur, à terra, aqua, ne tã promptè diffluat, & uelut stationem deserat, cohibetur, terræ & ignis siccitas, aquæ & aeris humiditate corriguntur, & cõtrà, ignis item caliditas, & sæpe aeris, aquæ & terræ frigiditate temperantur. Ignis &

aeris

aeris raritatem, leuitatem, tenuitatem, aquæ & terræ densitas, grauitas, crassities remorantur, illorum & aquæ splendorem, & perspicuitatem terræ opacitas inducit, & obtenebrat, ut ex contrarijs huiusmodi, tum substãtijs, tum qualitatibus inuicem totis per se totas mistis generata omnia temperentur, & perdurent, donec elementa hæc quatuor cõcordi pace ligata manent, ut idem de humoribus corporum sanguine præditorum uelut elemẽtis intelligas. Vbi enim calidum per se, magis cum sicco in nobis abundat, adusto sanguine bilem utranque gignit, ut frigidum per se, magis cum humido pituitã, temperaturęque symmetriam, & humorum corrũpit (in qua erat similarium & primarum partium sanitas) morbósque accersit magnos, pro intemperaturæ, & humorum ametriæ magnitudine. Omnis nanque intẽperies insignis, morbum gignit, maxima autẽ mortem affert. Frigiditatis in terra, & aqua est eadem ratio, ut crassitiei, dẽsitatis, grauitatis. Obscuritas autẽ terræ propria, & opacitas aliorũ trium elementorũ splẽdori, & perspicuitati obsistit, ac his temperandis cõmodant, quomodo uisionẽ nostram à sole, & splẽdore dissolutã, tenebræ & opacitas cogẽdo recreant.

Hæc igitur elementa quatuor, quorũ concursione omnia gignuntur, atque concrescunt, dum cõcordi pace uelut consentiunt, res perdurat: dum dissident, & mutationibus sese plurimum exagitãt, corrumpitur, aliáque gignitur. In qua mutatione, quãuis ignis uelut causa effectrix, & terra tanquam mutationis subiectũ, principes tenere partes uideãtur, tamen reliqua etiã eximia sunt, quæ quatuor omni

Gal. lib. simpl.

no

no necessaria. Si enim calidum elementum sustuleris, concrescit humidum caloris inopia: si frigidum pereat elementum, omnia ignis erunt: si siccum tollatur, aqua erunt omnia: si humidum, terra, interibúntque corpora, quæ sub cælo sunt uniuersa. Nec solum. 4. elementa esse oportuit, sed qualitatibus quodammodo contraria, & substantijs, alioqui in se non agerent, si essent similia, nec à se paterentur, sed se ipsa fouerent & tanquam unum essent.

Hæc de elementorum proprietatibus, facultatibúsque sufficiant, quo autem mouente misceri inuicem queant, paucis addendum est, cum per se omnino nunquam simul coeant, ac congrediantur multò minus misceantur, leuia enim duo suapte natura sursum recta tolluntur, grauia duo reliqua deorsum recta declinant. Quo igitur mouente, hæc tolluntur, illa deturbãtur, uel saltem hæc quieris amica, illa deorsum præcipitata cum his contribulantur, ut etiã terra ipsa & aqua elementis quatuor sit mista. Spherarum omnium, & in his planetarũ, ac syderum motus irrequieti, ac splẽdores, & radij ignem maximè, secundo loco aerem, igni uicinum perpetuò cõmouent, aquæ infernis his commiscent.

Quomodo si centro phialæ rotundæ terram, & in circuitu eius aquam, & circum hanc uinũ immittere possis, ut uitri fundo terram, super hanc aquã, desuper uinum quotidie immittimus: deinde rotundam phialam exagites, rotatúque celerrimo & perpetuo circũagas, tria hæc misceri cerneres, ut profectò in uitro miscentur.

Radios uerò mouere indicabit tibi aer, quem solis radij

lis radij per feneſtram illuſtrant. In eo enim motu ir requieto, corpuſcula quędam agitari ſpectas apertè ob ambientis radios aeris obſcuritatẽ, quomodo pluuiam gracilem, & raram deprehẽdis in oppoſita obſcuráque & aperta feneſtra, nõ deprehendis in albo, aut ſplendido oppoſito, cum tamen non è regione tantùm feneſtræ, uel obſcuri alterius corporis pluat, & alijs etiam locis. Eodem opinor modo, earũ uelut atomorum motum, in radijs per anguſtum foramen in locum obſcuriorem receptis, ſpectare potes, in uijs publicis, et locis patentibus non potes: ubi tamen omninò ſimiliter moueri eſt non modo ueriſimile, ſed etiam ueriſsimum. Si enim quouis loco oſtium, uel aliud denſum: ſed feneſtratum, aut foratum in ſole derepentè ſtatuis, motum omninò ſimul deprehendes. Huc pertinet quod etiam in aere publico ſole illuſtrato, cernimus moueri corpuſcula quãplurima, ſed paulò grandiora, quàm ſint atomi.

Quæ uerò qualitates aliæ tactiles, guſtatiles, uiſiles, olfactiles, audibiles uariam elementorum miſtionem ſequantur, & præterea figuram, craſsitiem, & id genus alia docere præſentis non eſt inſtituti, cum præſertim ex Ariſtotelis libris, præſertim de anima, & Theophraſto lib. de plãtis, & Galeno lib. 4. ſimpl. & alijs, cuiuis diſcere ſit promptum.

Hæc paucula de elementorum natura mihi aſſerere uiſum eſt, etiam ſi non pauca ex his problemata, quibuſdam uideri poſsint.